DE

ATTRACTIONIS USU HERODOTEO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE III. M. AUGUSTI MDCCCLXXVIII, HORA IX

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

OSWALDUS MAY.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

P. TAEGEL, DR. PHIL. H. KANTER, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE.

TYPIS S. SCHOTTLAENDERI.

PROOEMIUM.

Inter omnes quorum opera aetatem tulerunt scriptores graecos etiam atque etiam Herodotus et studium meum et animum ita in se convertit, ut summum profecto fructum ex scriptis eius percepisse mihi videar. Maxime autem rebus grammaticis, quae legenti mihi Herodoti libros commemoratione dignae esse viderentur, operam et diligentiam tribuendam esse haud ignoravi. Quamvis enim quod ad explicandas res ab Herodoto narratas et ad investigandam peculiarem dialectum attinet, permultae quaestiones a viris doctis nostrae imprimis aetatis institutae sint, [1 2 3]), tamen de singulari et proprio huius scriptoris dicendi genere perpauca adhuc scripta extant. Quae nimirum causa fuit, quae me permovit, ut de attractionis usu qualis fuerit apud Herodotum quaerere inciperem etsi quid novi in lucem protulisse mihi contigit litteris consignarem. Nihilominus tantum abest, ut rem propositam omnibus numeris absolutam reddere me posse sperem, ut — cum attractionis fines in lingua graeca latissime pateant magnasque difficultates prae se ferant — de singulis tantum locis, ubi ad Herodoto attractio aut adhibita aut omissa est, hanc commentationem instituam.

Qua in re examinanda illud maxime tenendum est, antiquissimos scriptores dicendi ratione admodum simplici nec non saepe-

---

[1]) cf. Iac. Th. Struvius: quaestiouum de dialecto Herodoti spec. III in opp. sel. vol. II. Lipsiae 1824.

[2]) Ferd. I. Caes. Bredovius: de dialecto Herodotea, Lipsiae 1826.

[3]) G. Dindorfius et Abichtius in edit.

numero ad epicum sermonem accommodata usos esse, id quod cadit etiam in Herodotum, quippe qui praeter dictionem copia quadam verborum abundantem plerumque vetustam sententiarum iuncturam secutus singulas enuntiationes non hypotactice, sed paratactice inter se conecteret, quo facilius quaecunque diceret essent intellectu. Deinde autem ubi scriptores senserunt inter singulas enuntiationes intercedere discrimen aliquod unamque nonnunquam artius cohaerere cum altera, id imprimis studuerunt, ut enuntiata demonstrativa, praesertim cum pronomen demonstrativum in pronomen relativum abiret, mutarent in relativa itaque cum antecedentibus magis coniungerent. At vero cum iam ad hanc orationis continuationem progressi essent, illud quoque fieret oportuit, ut enuntiationes relativae, quae cum antecedenti nomine unam tantum notionem efficerent, per attractionem etiam in formam unius notionis redigerentur. Quamobrem G. Hermannus [1]) attractionem descripsit his verbis: „est autem attractio in eo posita, si quid eo, quod simul ad duas orationis partes refertur, ad quarum alteram non recte refertur, ambas in unam coniungit.“

Haec autem attractio admitti non potest, si nomen enuntiati primarii, e quo pendet enuntiatio relativa, vocabulo aliquo accuratius definitur, velut: μεταδίδως αὐτῷ τοῦ σίτου πολυτελοῦς ὅνπερ ἔχεις. De reliquis attractionis formis suo loco sermo erit. Nunc vero illud tantum explanari velim, nomen ipsum grammaticae illius figurae quam dicunt attractionem, nequaquam traditum esse a veteribus grammaticis, sed verbum quidem „trahendi“ proficisci a notissimo grammatico Francisco Sanctio, quippe qui in grammatica sua, quae inscribitur „Minerva“ attractionem qualis esset in lingua latina illustrare inciperet. Primus deinde „attractionis“ vocabulum usurpavit Claudius Lancelotus. At vero inde a saeculo XVII usque ad saeculum XIX attractionis notio summae incuriae et oblivioni obnoxia fuit, donec Buttmannus [2]) „attractionis“ nomen in grammaticam graecam recepit eiusque notionem et fines sagacissime exposuit, quamvis et ipse non satis distincte hac in re definienda versaretur multosque locos tribueret attractioni, qui revera

---

1) cf. Hermann. adnott. ad Viger. p. 889.

2) cf. Buttmann: griech. Grammatik § 138 (ed. VII).

illi non conveniunt. Quod autem dicit: „Ein Hauptbestreben, besonders der Attiker, dem sie häufig die strenge Logik aufopfern, ist das nach runder Kürze," id non recte se habet, cum omnibus fere locis, ubi attractio statuatur oportet, grammatica sententiarum structura logicae verborum rationi cessisse videatur, et sensus tantum nec vero studium brevitatis effecerit, ut duo enuntiata in unum abierint. Buttmannus ipse hoc modo pergit: Diesem (Bestreben) zufolge suchen sie soviel als möglich zwei genau verbundene Sätze nicht blos hintereinander folgen zu lassen, sondern beide in einen zu concentriren; atque paullo post: Die Construction mit dem Relativ war auch nöthig, welche aus zwei auf einander folgenden Sätzen besteht. Um diesen also die Gestalt eines Satzes zu geben, machte man das Pronomen des letzteren zum gemeinschaftlichen Pronomen, indem man es der Form nach an den ersteren heftete.

Deinde C. W. Kruegerus[1]) pro vocabulo „attractio" adhibitum esse voluit „assimilationis" nomen, cum notionum idem significantium altera alteri assimilaretur), itaque disseruit: So wird (durch das Streben, dem Sinne nach innig verbundene Begriffe auch der Form nach zu assimiliren) der Accusativ eines (einfachen) Relativs auf einen Genetiv oder Dativ bezogen, gewöhnlich gleichfalls in den Genetiv oder Dativ verwandelt, jedoch nicht leicht anders, als wenn der relative Satz als attributartige Bestimmung sich ohne Pause anschliesst: Assimilation, gewöhnlich falsch und unpassend Attraction genannt. Recte autem R. Foersterus[2]) assimilationis nomen reiiciendum esse censet, cum enuntiatio quidem relativa non assimiletur, sed a nomine vel a verbo enuntiationis primariae attrahatur.

Iam vero dignae sunt quae commemorentur sagaces nec non diligentissimae G. T. A. Kruegeri[3]) de attractione quaestiones. Ille vir doctus Buttmanni et G. Hermanni sententias saepenumero clarius explanavit multasque res novas attulit.

---

[1]) cf. Krueger: Griech. Sprachlehre § 51. 10. (ed III).

[2]) R. Foersterus: de attractione enuntiationum relativarum p. 27.

[3]) G. T. A. Krueger: Die Attraction in der lat. Sprache mit beständiger Rücksicht auf das Griechische. Braunschweig 1827.

Imprimis vero Kruegeri de attractione adnotationes magni sunt aestimandae, quia non solum in attractionem pronominis relativi inquisivit, sed etiam disertis verbis illius structurae mentionem fecit, ubi duae enuntiationes per meram nominis alicuius transpositionem in unam coalescunt, ita quidem ut nomen aut ex enuntiato secundario in primarium aut e primario in secundarium recipiatur.

Sententiam nimirum oppositam eis quae Buttmannus et alii de attractione docuerunt, Bernhardyus [1]) in medium protulit, qui singulari quodam studio et eo quo erat acumine attractionis naturam qualis esset in singulis dialectis graecis indagare conatus est. Dicit autem attractionem tantummodo per normam artis rhetoricae explicandem esse, cum Buttmannus attractionem in ellipsi pronominis demonstrativi positam esse doceat.

G. Curtius [2]) deinde de attractionis indole breviter et luculenter exponit docetque cum attractione saepius contractionem quandam (Verkürzung) coniunctam esse his verbis: Mit der Attraction ist häufig noch ein anderer Vorgang verbunden, die Verkürzung, indem der Artikel oder das Demonstrativ-Pronomen weggelassen und das Relativ mit dem Worte, worauf es zurückweist, in einen einzigen Satz zusammengezogen wird. War das Wort, auf welches das Relativ sich bezog, ein blosses Pronomen, so bleibt dann das Relativ ganz allein, steht aber in dem Casus, welchen das Demonstrativ haben müsste: velut in hoc enuntiato: μέμνησθε οὗ ὀμωμόκατε ὅρκου pro: μέμνησθε τοῦ ὅρκου οὗ ὀμωμόκατε. Postquam singulas attractionis leges attulit, de attractione, quam Buttmannus primus dixit: „inversam“ haec verba facit: Eine umgekehrte Attraction besteht darin, dass ein Nomen oder Pronomen in den Casus des darauf zurückweisenden Relativs übertritt — velut: τὴν οὐσίαν ἣν κατέλιπε τῷ υἱεῖ οὐ πλείονος ἀξία ἐστίν.

Steinthalius [3]) denique subtiliter de attractionis natura disseruit veterumque grammaticorum, praecipue G. Hermanni, sententiam refutavit: attractionem pro idiotismo linguae habendam esse, his ver-

---

[1]) cf. Bernhardy: Wissenschaftl. Syntax der griech. Sprache, p. 299 sqq.

[2]) G. Curtius: Griech. Schulgrammatik § 597 sqq.

[3]) cf. Zeitschrift für Völkerpsychologie und Sprachwissenschaft, Band I, p. 100.

bis: Denn soviel müssen wir wohl dem Vorangehenden entnehmen, dass wir die Attraction nicht von dem allgemeinen Boden, dem die Sprache mit allen ihren Formen entspriesst, ablösen dürfen, deinde: Wir haben ferner nicht nur davon abzusehen, dass schriftstellerische Kunst mit Absicht nachbildet, was die Natur der Sprache, der Volksgeist, vorgeschaffen hat; sondern wir sehen auch eben darum zunächst ganz von der ästhetischen Seite und der Zweckmässigkeit ab etc.

Sed ne longus sim, iam ad enumerandas huius commentationis partes accedam, ita ut priore capite disseram de attractione enuntiatorum relativorum, altero deinde de attractione apud infinitivum et participium, de attractione quae proprie est transpositio, denique de attractione inversa. Praeterea e re erit in eos quoque locos inquirere, ubi attractio omissa est ab Herodoto.

CAPUT I.

DE ATTRACTIONE ENUNTIATIONUM RELATIVARUM.

In enuntiatis relativis, de quibus nunc agendum est, duo attractionis genera distinguenda sunt, cum enunatiatio relativa aut attributi loco ad substantivum enuntiati primarii pertinere aut ex vocabulo enuntiati primarii pendere possit, quorum prius R. Foersterus [1]) appellari posse censet: attributivum, alterum substantivum. Hanc quidem viam secutus primum de attributivo genere enuntiationum relativarum attractarum verba faciam.

§ 1.

De attributivo genere enuntiationum relativarum attractarum.

Herodotus quamvis inter illos scriptores recensendus sit, qui primi attractionis legibus usi sunt, tamen studio quodam continuae efficiendae dictionis adductus saepenumero enuntiata relativa per attractionem cum verbis antecedentibus artius coniunxit, ita ut accusativus pronominis relativi indueret genetivum vel dativum nominis enuntiationis primariae. Huic autem generi imprimis attribuenda est formula usitatissima: τῶν ἡμεῖς ἴδμεν pro: τούτων τοὺς sive τὰ ἡμεῖς ἴδμεν, quae permultis invenitur locis [2]). Alibi [3])

---

[1]) R. Foersterus: de attractionis in graeca lingua usu quaestionum particula I, p. 4. Vratislaviae 1866.

[2]) In enumerandis locis sequor editionem criticam, H, Steinii (II vol.) Berolini 1869—71. l. I. 23, 94, 142, 178, II. 68, 157, III, 60, 94, 98, IV. 42, 46, 48, 58, 114, 184, 187, V. 119, VI. 21, 112, VII. 8 γ, 170, VIII. 105, IX. 64, 98.

[3]) IV. 19, 20, 197, VII. 111.

legimus pro: τῶν ἡμεῖς ἴδμεν — ὅσον ἡμεῖς ἴδμεν et κατ' ὅσον ἡμεῖς ἴδμεν pro: κατὰ τοῦτο ὅσον. Deinde attractionem adhibuit Herodotus in aliis eiusmodi locutionibus[1]), velut: τῶν αὐτὸς ᾔδεε —, τῶν κατέλεξα pro: τούτων τοὺς —, τῶν ἐγὼ οἶδα —, τῶν ὑμεῖς λέγετε —, τῶν κατέλεξα.

Iam vero aliud afferam exemplum, quo melius attractionem in enuntiatis relativis admissam cognoscamus. l. I. C. 29 καὶ δὴ καὶ Σόλων ἀνὴρ Ἀθηναῖος, ὃς Ἀθηναίοισι νόμους κελεύσασι ποιήσας ἀπεδήμησε ἔτεα δέκα, κατὰ θεωρίης πρόφασιν ἐκπλώσας, ἵνα δὴ μή τινα τῶν νόμων ἀναγκασθῇ λῦσαι τῶν ἔθετο. Ac primo quidem obtutu enuntiationem relativam: τῶν ἔθετο attributi loco ad: τῶν νόμων referendam esse facile intellegi potest; nec fortasse quisquam verba: τῶν ἔθετο aliter ac per: τοὺς ἔθετο explicanda esse putaverit. Eiusmodi autem enuntiata relativa attracta, quae ad notionem aliquam accuratius determinandam adduntur, cum semper fere in structuram participialem mutari possint, et hoc loco Bernhardyus[2]) enuntiationem τών ἔθετο idem valere quod τῶν τεθέντων recte monuit. Sed hoc participium quamvis scribere potuerit Herodotus, tamen plus vigoris inest in enuntiato relativo: τῶν ἔθετο, praeterquam quod rerum conexus multo brevior fit scribendo: τῶν ἔθετο, quam structura participiali: τῶν ὑπ' ἑωυτοῦ τεθέντων.

Simili modo attractio statuenda est in l. III C. 105 τὰς δὲ θηλέας ἀναμιμνησκομένας τῶν ἔλιπον τέκνων, ubi scribere quoque poterat Herodotus: τῶν λειφθέντων τέκνων.

In universum autem omnes fere scriptores graeci hac lege sese adstrinxerunt, ut participiali usu neglecto enuntiatum relativum exhiberent, si quam notionem eximiam nomini enuntiati primarii addere volebant, id quod multis comprobatur exemplis, quorum nonnulla congessit Kuehnerus[3]) velut Thucyd. l. VII C. 21 ἄγων ἀπὸ τῶν πόλεων ὧν ἔπεισε στρατιάν, ubi enuntiatio relativa facillime mutari potest cum participio: πεισθεισῶν.

Deinde non est praetermittendus locus, ubi ex aliqua tantum parte Herodotus attractionem admisit, l. IV C. 9 ὃς δ' ἂν τούτων

[1]) I. 45, III. 101, V. 49, VI. 66β, VII. 8γ.

[2]) Bernhardy: Wissenschaftl. Syntax p. 301.

[3]) Kuehner: Ausführl. Grammatik der griech. Sprache. II § 787. 2 (edit. I) § 555. 2 (edit. II).

τῶν ἔργων τῶν ἐντέλλομαι λείπηται, ἔκπεμπε ἐκ τῆς χώρης. Nimirum pronomen demonstrativum τούτων supervacaneum esse et fortasse mendosa librariorum scriptura contineri quispiam dixerit, praesertim cum enuntiatio relativa: τῶν ἐντέλλομαι sensui prorsus satisfaciat. Sit ita. Sed quid impedit, quominus Herodoto nondum in perpolito dicendi genere versanti talem pronominis demonstrativi usum, quippe qui etiam apud alios scriptores reperiatur, vindicemus? Me quidem iudice pronomen demonstrativum efficere videtur, ut tota enuntiatio maiore quadem vi ut gravissima in medium proferatur, cum ipsa illa opera ab Hercule mandata maximi momenti esse debeant. Huc accedit, quod Buttmannus[1]) de attractionis origine eiusque apud atticos scriptores usu docet: pronomen relativum hac condicione ab antecedenti nomine attractum esse, ut apud nomen deesset pronomen demonstrativum. At vero si praeterea ad augendam vocabuli notionem pronomen demonstrativum additum esset, scriptores usitata dictione attractionis in modum formata usos pronomen relativum posuisse in casu pronominis demonstrativi.

Nostro cum loco comparari potest l. III. C. 80: δεύτερα δὲ τούτων τῶν ὁ μούναρχος ποιέει οὐδέν pro: τῶν — ποιέει οὐδέν; l. IV C. 86 β. οὔτε μέμνημαι τὸ πρῆγμα οὔτε με περιφέρει οὐδὲν εἰδέναι τούτων τῶν ὑμεῖς λέγετε, et l. VII C. 8 γ. τούτων τῶν κατέλεξα ὑπεξαραιρημένων, ubi pronomen demonstrativum sequitur enuntiatio relativa attracta.

Iam de duobus exemplis agendum est, quae attractionem pronominis relativi etiam in genetivo singulari τῆς admissam esse demonstrant, cum antecedentibus locis genetivum pluralem τῶν attractum cognoverimus. In l. IV C. 78 legimus: ἀλλὰ πολλὸν πρὸς τὰ Ἑλληνικὰ μᾶλλον τετραμμένος ἦν ἀπὸ παιδεύσιος τῆς ἐπεπαίδευτο, ubi enuntiatio relativa tam arte cohaeret cum substantivo: παιδεύσιος, ut utrumque orationis membrum attractionis vinculo conectatur necesse sit, praesertim cum participium: πεπαιδευμένης[2]) nullo pacto dici possit pro enuntiatione relativa: τῆς ἐπεπαίδευτο i. e. τὴν (ἣν) ἐπεπαίδευτο.

Quamvis autem attractio hoc loco nulli omnino dubitationi obnoxia sit, tamen fortasse quispiam contenderit, genetivum τῆς

---

[1]) Buttmann: Griech. Grammatik § 310. 3. Anm. 2.

[2]) Bernhardy: Wissenschaftl. Syntax p. 301.

non per attractionem explicandum esse, sed pendere ex praepositione ἀπό, quae etiam ad pronomen relativum τῆς subaudienda sit. Verumenimvero ut res ita se habeat, quomodo enuntiatum relativum: ἀπὸ τῆς sqq. vertendum sit me nescire fateor. Huc autem accedit aliud argumentum: saepissime graeco sermone verba passiva cum accusativo substantivi ab eadem radice derivati coniungi, velut[1]: τιμὴν τιμᾶσθαι, ὕβριν ὑβρίζεσθαι, qua de causa et nostro loco pronomen τῆς nonnisi per attractionem explicandum est.

Alterum exemplum attractionis in genetivo singulari pronominis relativi adhibitae extat in l. VII C. 8. α: φροντίζων δὲ εὑρίσκω ἅμα μὲν κῦδος ἡμῖν τε προςγινόμενον χώρην τε τῆς νῦν κεκτήμεθα οὐκ ἐλάσσονα, qua in structura plane suo loco est attractio ad coniungendas notiones, quae inter se comparari debent, itaque arte inter se cohaerent.

Denique ad attributivum enuntiatorum relativorum attractorum genus revocandus est locus l. III C. 142: ἀλλὰ μᾶλλον ὅκως λόγον δώσεις τῶν μετεχείρισας χρημάτων.

§ 2.

De substantivo genere enuntiationum relativarum attractarum.

Venio nunc ad id genus enuntiatorum relativorum attractorum, quod cum R. Foerstero[2] substantivum dicendum est. Enuntiatio enim relativa attracta substantivi vice fungitur atque pendere potest e nomine aut e verbo aut e praepositione.

Ac primum quidem paullo accuratius exempla exponam, ubi enuntiatio relativa attracta e substantivo enuntiati primarii pendet, praesertim cum eiusmodi attractionis usus apud Herodotum persaepe statuendus sit. Huc pertinent imprimis quattuor loci, qui inveniuntur in l. V. C. 106 καὶ Ἴωνας σὺν αὐτοῖσι τοὺς δώσοντας ἐμοὶ δίκην τῶν ἐποίησαν.

l. VII. C. 5. μὴ οὐ δοῦναι δίκην τῶν ἐποίησαν;

l. IX C. 93 οὐ πρότερόν τε παύσεσθαι τιμωρέοντες ἐκείνῳ πρὶν ἢ δίκας δῶσι τῶν ἐποίησαν;

l. IX C. 94 εἰ ἐθέλοιεν Ἀπολλωνιῆται δίκας ὑποστῆναι τῶν ἐποίησαν.

---

[1]) Kuehner: Ausführliche Grammatik der griech. Sprache § 555. 2. Anmerkung 4.

[2]) R. Foerster: l. l. p. 4.

Exempla, quae modo attuli, ita comparata sunt, ut primo obtutu attractio enuntiati relativi perspicua sit. E verbis l. V. C. 106: καὶ Ἴωνας σὺν αὐτοῖσι τοὺς δώσοντας ἐμοὶ δίκην τῶν ἐποίησαν luculenter apparet, enuntiationem relativam attractam, quae substantivi loco posita sit, pendere ex voce: δίκην, quamobrem pro: τῶν ἐποίησαν — i. e. τούτων τὰ (ἃ) ἐποίησαν scribere quoque licuit Herodoto: τῶν ποιηθέντων, sive: τῶν ποιημάτων, ἔργων. Graeci autem scriptores cum talem participii vel substantivi usum, quippe qui saepius sensum minus dilucidum et gravem reddat, recipere noluerint, generalem aliquam notionem — ut hoc loco: τῶν ποιημάτων — enuntiato relativo per attractionem cum antecedenti nomine coniuncto exprimere solent. — Itaque illud certe constat, in hunc locum attractionis leges sane quadrare.

Deinde afferre liceat alium locum l. IX C. 58: ἀλλὰ διωκτέοι εἰσὶ ἐς ὃ καταλαμφθέντες δώσουσι ἡμῖν τῶν δὴ ἐποίησαν — πάντων δίκας, quippe qui sine dubio ad hoc attractionis genus spectare videatur, quamvis revera illi non conveniat. Enuntiatio enim relativa attracta: τῶν δὴ ἐποίησαν non tam suspensa est e nomine δίκας, quam e pronomine indefinito: πάντων, quare hic locus attributivo generi enuntiationum relativarum attractarum attribuendus est.

Reliqua huius attractionis exempla silentio praetermittenda esse duco, quia omnino similia sunt loco priori, de quo pluribus egi; quamobrem nunc accedamus ad enuntiationes relativas attractas, quae pendent e pronomine οὐδέν. Primus autem locus, quem afferam, invenitur in l. I C. 78 Τελμησσέες μὲν νῦν ταῦτα ὑπεκρίναντο Κροίσῳ ἤδη ἡλωκότι, οὐδέν κω εἰδότες τῶν ἦν περὶ Σάρδις τε καὶ αὐτὸν Κροῖσον, ubi enuntiatio relativa: τῶν ἦν — pro: τούτων τὰ ἦν — e pronomine οὐδὲν pendet. Formula autem: οὐδὲν τῶν (ὧν) quamvis non solum apud Herodotum, sed etiam apud alios scriptores saepius inveniatur, tamen hic locus habet, quod eum qui attractionem eiusque in graeca lingua usum satis perspexerit, facile offendere possit. Nam quod ad optimam quidem graeci sermonis dictionem attinet, hae attractionis leges stabilitae sunt, ut accusativus pronominis relativi a genetivo vel dativo antecedentis nominis vel pronominis demonstrativi attrahatur itaque genetivum vel dativum induat. Perraro[1])

[1]) R. Kuehner: Ausführl. Grammatik II. § 787. 2. Anmerk. 4 (ed. I) II § 555. 2. Anmerk. 4 (ed. II).

autem fieri solet, ut etiam nominativus vel dativus pronominis relativi per attractionem in casu antecedentis nominis vel pronominis ponatur, de qua re R. Foersterus[1]) recte exposuit his fere verbis: nominativum pronominis relativi nomini antecedenti non assimilari nisi ita, ut pronomen relativum esset generis neutrius, verbum autem vim passivam aut intransitivam haberet. Quamobrem iterum exemplum illud, cuius iam supra mentionem fecimus, examinemus oportet, l. I. C. 78 Τελμησσέες μὲν νῦν — οὐδέν κω εἰδότες τῶν ἦν περὶ Σάρδις τε καὶ αὐτὸν Κροῖσον. Enuntiationem igitur relativam e structura: τούτων τὰ ἦν originem duxisse nemo non intelleget. Neque Matthiaeo[2]) qui attractionem in hunc locum non quadrare opinatus verbum ἦν delevit, assentiendum esse puto. Nam quid obstat, quominus optimorum codicum scripturam: τῶν ἦν secuti attractionem statuamus, praesertim cum locos plane similes ab aliis quoque scriptoribus alienos non esse haud ignoremus, velut in Platon. Phaedon. C. XIII p. 69 A (edit. C. Fr. Hermann) τοῦτο δ' ὅμοιόν ἐστιν ᾧ νῦν δὴ ἐλέγετο εἶναι, τῷ τρόπον τινὰ δι' ἀκολασίαν αὐτοὺς σεσωφρονίσθαι, quo in enuntiato pronomen relativum ᾧ ab adiectivo: ὅμοιον attractum idem valet quod τούτῳ ὅ. At vero etiamsi Matthiaeo[3]) in grammatica graeca eundem hunc locum attractionis exemplis adiicienti — illud forte largiamur, verbum ἦν extinguendum esse, tamen satis mirum esse videtur, quod vocula τῶν, quae articulus tantummodo esse potest, hoc loco tam absolute ponitur pro structura articuli cum participio coniuncti: τῶν περὶ Σάρδις — γινομένων sive ἐόντων, velut in l. II C. 4: καὶ αὐτῆς εἶναι οὐδὲν ὑπερέχον τῶν νῦν ἔνερθε λίμνης τῆς Μοίριος ἐόντων; l. II C. 79 τῶν περὶ Αἴγυπτον ἐόντων, l. III C. 76: τῶν περὶ Πρηξάσπεα πρηχθέντων εἰδότες οὐδέν. Denique codicum scriptura: τῶν ἦν efficit profecto, ut totius loci sensus plane perspicuus sit, cum verba: τῶν ἦν — i. e. τούτων τὰ ἦν — recte tantummodo de rebus, neque de personis intellegenda sint; id quod Matthiaei coniectura in medio relinquit. Immo verbum ἦν si abiecerimus, verba: τῶν ἦν sqq. tantum ad homines circa Sardes et ipsum Croesum

[1]) R. Foersterus: de attractione enuntiationum relativarum, p. 9. Berolini 1866.

[2]) Matthiae: in adnott. edit. ad h. l.

[3]) Matthiae: Ausführliche griech. Grammatik § 473 Anm. 1.

versantes spectare possunt cum graeco sermone formula[1, 2, 3]: οἱ περί τινα saepissime usurpata significet eos, qui ab alicuius parte stant vel apud illum commorantur, velut in l. II. C. 163 καὶ οἵ τε περὶ τὸν Ἀπρίην ἐπὶ τοὺς Αἰγυπτίους ἤισαν καὶ οἱ περὶ τὸν Ἄμασιν ἐπὶ τοὺς ξείνους. His igitur de causis hunc locum attractioni attribuendum esse contendi, quamvis apud Herodotum quidem plane simile exemplum nominativi pronominis relativi attracti non invenerim.

Iam reliquos locos breviter commemorabo, ubi enuntiatio relativa attracta e pronomine οὐδέν, substantivi vicario, pendet, qui sunt hi: l. II. C. 14: οἳ οὔτε ἀρότρῳ ἀναῤῥηγνύντες αὔλακας ἔχουσι πόνους οὔτε σκάλλοντες οὔτε ἄλλο ἐργαζόμενοι οὐδὲν τῶν οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι περὶ λήιον πονέουσι.

l. IX. C. 98: πάντως γὰρ οὐδὲν συνήσουσι Πέρσαι τῶν ἐγὼ ὑμῖν ἐντέλλομαι.

l. IX. C. 116: ταῦτα λέγων εὐπετέως ἔμελλε ἀναπείσειν Ξέρξην δοῦναι ἀνδρὸς οἶκον. οὐδὲν ὑποτοπηθέντα τῶν ἐκεῖνος ἐφρόνεε.

Haec autem exempla pronomen relativum τῶν a pronomine οὐδέν attractum esse luculenter demonstrant; quare iam transeamus ad eos locos, ubi enuntiatio relativa attracta pendet e praepositione.

§ 3.

De attractione enuntiationum relativarum e praepositione pendentium.

Eiusmodi attractionis exempla, quae apud Herodotum leguntur, ita comparata sunt, ut quae sit eorum natura atque indoles facile cognosci possit. Ac primum quidem affero l. I. C. 1: πέμπτῃ δὲ ἢ ἕκτῃ ἡμέρῃ ἀπ᾽ ἧς ἀπίκοντο, ἐξεμπολημένων σφι σχεδὸν πάντων sqq., ubi pronomen relativum ἧς cum praepositione ἀπὸ coniunctum e structura: ἀπὸ ταύτης ᾗ ortum esse statuimus. Quod vero Bernhardy[4]) hunc locum tantummodo per ellipsin pronominis demonstrativi explicandum esse adnotat, id omnino quidem recte

---

1) Bernhardy: Wissenschaftl. Syntax p. 263.
2) Kuehner: Ausführliche Grammatik § 437. III (ed. II).
3) Matthiae: Ausführliche griech. Grammatik II § 583.
4) Bernhardy: Wissenschaftl. Syntax p. 286 et p. 301.

se habet; sed haec ipsa res illud sane efficit, ut hunc locum, sicut alium ei plane similem, l. III. C. 14: ἡμέρῃ δὲ δεκάτῃ ἀπ' ἧς παρελάβε τὸ τεῖχος attractioni adnumeremus, quia attractio in eo potissimum posita est, ut pronomen relativum genetivum vel dativum omissi pronominis demonstrativi induat.

Deinde huc revocandi sunt hi loci: l. I C. 92: τὴν δὲ οὐσίην — ἀνέθηκε ἐς τὰ εἴρηται, ubi verba ἐς τὰ sine dubio e structura ἐς ταῦτα τά originem duxerunt.

Simili modo pronomen relativum omisso pronomine demonstrativo attractum est a praepositione ἐς duobus aliis locis, in l. II. C. 8: ταύτῃ μὲν λῆγον ἀνακάμπτει ἐς τὰ εἴρηται (i. e. ἐς ταῦτα τά) τὸ ὄρος, l. V C. 92 δ: φέρουσα καταχρύπτει ἐς τὸ ἀφραστότατόν — i. e. ἐς τοῦτο τό — οἱ ἐφαίνετο εἶναι.

Nonnunquam Herodotus talem attractionem adhibet hac condicione, ut ea praepositio, e qua pendet pronomen relativum attractum, una cum pronomine demonstrativo antea omisso repetatur, velut in l. I C. 47: ἀπ' ἧς ἂν ἡμέρης ὁρμηθέωσι ἐκ Σαρδίων, ἀπὸ ταύτης sqq., ubi verba: ἀπὸ ταύτης deesse possunt, cum verba: ἀπ' ἧς ἂν ἡμέρης i. e. ἀπὸ ταύτης ἡμέρης ᾗ — sensum prorsus dilucidum reddant; deinde in l. II C. 146: ἀπ' οὗ δὲ ἐπύθοντο χρόνου, ἀπὸ τούτου sqq., ubi proprie scribendum erat: ἀπὸ τούτου τοῦ χρόνου ᾧ i. e. inde ab eo tempore quo; in l. III C. 19: ἐν ᾧ δὲ — i. e. ἐν τούτῳ ᾧ — τούτους μετήισαν, ἐν τούτῳ; C. 155: σὺ δὲ ἀπ' ἧς ἂν ἡμέρης ἐγὼ ἐσέλθω ἐς τὸ τεῖχος, ἀπὸ ταύτης sqq.;

in l. III C. 83 ἐπὶ τούτῳ δὲ ὑπεξίσταμαι τῆς ἀρχῆς, ἐπ' ᾧτε ὑπ' οὐδενὸς ὑμέων ἄρξομαι[1]), ubi pro breviore formula: ἐπ' ᾧτε — cf. l. I C. 22, sive ἐπ' ᾧ cf. l. V C. 82, sive ἐπ' οἷσί περ cf. l. I C. 141, sive ἐπ' οἷσι cf. l. IV C. 145 — usurpavit Herodotus longiorem: ἐπὶ τούτῳ — ἐπ' ᾧτε, quo maius sententiae pondus tribueret;

in l. III C. 31: οἱ δὲ βασιλήιοι δικασταὶ κεκριμένοι ἄνδρες γίνονται Περσέων, ἐς ὃ ἀποθάνωσι ἤ σφι παρευρεθῇ τι ἄδικον, μέχρι τούτου, ubi verba: ἐς ὅ — μέχρι τούτου pro simplici locutione μέχρι οὗ sive ἐς ὅ usurpata[2], [3]) sensum graviorem reddere

---

[1]) G. T. A. Krueger: Die Attraction in der latein. Sprache § 119.

[2]) μέχρι οὗ invenitur in l. I. C. 187. II. 179. V 28. VIII 100; μέχρι ὅσου VIII. 3; ἄχρι οὗ I. 117.

[3]) ἐς ὅ invenitur in l. I. C. 67, 93, 98, 102, 115, 158, 191, 202. II.

videntur. Μέχρι οὗ ortum esse ex: μέχρι τούτου ὅ sive ὅτε docet Schoemannus[1]). Praeterea vero mirum est, quod praepositionem ἐς — ἐς ὅ ortum est ex: ἐς τοῦτο ὅ — hoc loco praepositio: μέχρι sequitur. Ἐς ὅ permultis invenitur locis, quare quamvis Struvius[2]) novem exemplis formulam ἐς οὗ comprobare studeat, et hoc loco cum H. Steinio ἐς ὅ scribendum esse censeo.

§ 4.

De attractione enuntiationum relativarum a pronomine οἷος et ὅσος incipientium.

Aliud deinde attractionis genus etiam apud Herodotum saepius invenitur in enuntiatis relativis, quae a pronomine οἷος sive ὅσος incipiunt[3]). Eiusmodi autem attractio praebet pronomen relativum et subiectum enuntiati relativi attractum a nomine enuntiationis primariae — omisso pronomine demonstrativo: τοιοῦτος et verbo εἶναι. Enuntiatio relativa cum antecedenti orationis membro coniuncta meram adiectivi formam induisse nec non attributi loco substantivo, ad quod pertinet, addita esse, videtur. Idem attractionis usus extat in formula: οὐδείς ἐστιν ὅς, cuius postea mentio erit facienda.

Iam vero afferam l. I. C. 31: αἱ δὲ Ἀργεῖαι — ἐμακάριζον — τὴν μητέρα αὐτῶν οἵων τέκνων ἐκύρησε, quo loco quamvis de vulgari illa attractione maxime in dativo[4]) pronominis οἷος adhibita non sit cogitandum, attractio quaedem statui potest, cum genetivus οἵων[5], [6], [7]) sine dubio idem valeat quod: ὅτι τοιούτων totaque huius enuntiati structura haec sit: ὅτι τοιούτων τέκνων ἐκύρησε οἷοί εἰσι. Qua breviloquentia — οἵων τέκνων — illud factum esse videmus, ut omissis coniunctione: ὅτι et pronomine demonstrativo:

102, 105, 118, 143. III. 48, 82, 104, 136, 158. IV. 12, 30, 43, 56, 71, 122, 123, 160, 166, 181, 196, 201, 203. V. 51. 85, 91, 92γ et ζ. VI. 15. 24. 75, 83, 99. 113, 140. VII. 50, 58, 113, 181. VIII. 58. 108. IX. 55, 58, 62, 94.

1) Schoemann: Redetheile p. 117.

2) Struvius: opuscula selecta II. p. 313.

3) Kuehner: Ausführliche Grammatik: II. p. 915. Anm. 3 (edit II).

4) G. T. A. Krueger: Die Attraction in der latein. Sprache § 113.

5) Kuehner: Ausführl. Grammatik § 551, 9 (edit II.).

6) Matthiae: Ausführl. griech. Grammatik § 480, Anm. 3 (edit III.).

7) Buttmann: Griech. Grammatik § 130, 1.

τοιούτων, notio illa praedicandi pium filiorum erga matrem animum maiore quadam vi exprimatur. Baehrius [1]) autem iure meritoque assentitur Matthiaeo hunc locum ita vertenti: dass ihr solche Kinder zu Theil geworden wären, quamquam nostro quidem sermone peculiarem graecae dictionis vigorem exhibere non possumus.

Simili ratione explicandus est alius locus l. VIII. C. 12: οἱ δὲ στρατιῶται — ἐλπίζοντες πάγχυ ἀπολέεσθαι ἐς οἷα κακὰ ἧκον. [2]) Nam hanc quoque enuntiationem nonnisi e verbis ὅτι ἐς τοιαῦτα κακὰ ἧκον, scil. οἷά ἐστι — ortam esse facile est intellectu, cum verba: ἐς οἷα κακὰ ἧκον nimirum repetant causam, cur milites se interituros esse putarent. Aptissime autem Herodotus id quod explicandi gratia antecedentibus adiectum est, tam breviter expressit. Praeterea cum hoc loco conferenda sunt verba l. V C. 92 ζ: θωυμάζειν τε αὐτοῦ παρ' οἷον μιν ἄνδρα ἀποπέμψειε i. e. ὅτι ἐς τοιοῦτον ἄνδρα μιν ἀποπέμψειε, scil. οἷός ἐστιν.

Denique facere non possum, quin paucis commemorem verba l. IV. C. 28: ἔνθα τοὺς μὲν ὀκτὼ τῶν μηνῶν ἀφόρητος οἷος γίνεται κρυμός, quippe quae et ipsa attractionem quandam pronominis οἷος exhibeant. Substantivum enim κρυμός — omisso pronomine demonstrativo — cum pronomine οἷος coniunctum est, quare duae proprie enuntiationes statuendae sunt: ἔνθα — τοιοῦτος γίνεται κρυμός, οἷός ἐστιν ἀφόρητος, quae — verborem ordine mutato — ita in unam contrahuntur, ut pronomen οἷος post adiectivum: ἀφόρητος positum totam quodammodo sententiam augere videatur. Quo melius totam structuram, e qua eiusmodi locutio: ἀφόρητος οἷος profecta sit, perspiciamus, locum [3]) e Xenophont. memorabil. petitum afferam: ἐδόκει τοιοῦτος εἶναι, οἷος ἂν εἴη ἄριστός γε ἀνὴρ καί εὐδαιμονέστατος.

Iam vero accedamus ad locum l. VII. C. 47, ubi attractio pronominis οἷος omissa est: Ἀρτάβανε, βιοτῆς μὲν νῦν ἀνθρωπηίης πέρι ἐούσης τοιαύτης οἵην περ σὺ διαιρέαι εἶναι; quo loco profecto enuntiationem attractam: ἀνθρωπηίης πέρι οἵης περ σὺ sqq. expectamus. Sed ut res ita se habeat illud quoque spectandum est, ut Herodoto semper fere certam quandam causam, cur attractionem

[1]) Baehrius: in adnott. ad h. l.

[2]) Baehr: in adnott. (edit.) ad h. l.

[3]) Matthiae: Ausführl. griech. Grammatik § 480, Anm. 3.

nonnunquam omiserit, vindicemus. Xerxes, ut ad nostrum locum revertar, prorsus adstipulatur Artabani de vita humana sententiae et propterea addit pronomen demonstrativum: τοιαύτης, quo gravius sonet notio illa: βιοτῆς ἀνθρωπηίης. Huc autem accedit, quod pronomen relativum coniunctum est cum verbo: εἶναι, ita ut structura accusativi cum infinitivo: οἵην περ — εἶναι — suspensa e verbo: διαιρέαι omnino suo loco sit pro genetivo attracto: οἵης cum infinitivo.

Neque silentio praetermittendi sunt loci, ubi pronomen οἷος cum particula: τε coniunctum adhibetur. De origine et significatione particulae τε G. Curtius[1]) haec adnotat: aus dem Stamme κα entspringt τε mit τ für κ, quare voculae τε vis demonstrativa tribuenda est, id quod Schoemannus[2]) his fere verbis docet: particulam τε etiamsi correlativa ratio inter illam et coniunctionem καὶ sive τε intercedat, demonstrativa vi indutam cum pronominibus velut: ὅστε, οἷός τε coniungi idemque significare quod nostro sermone: „da", „so". Itaque iam ad singulos locos transeamus, ubi pronomen οἷός τε invenitur, velut in l. I C. 112 ὁ δὲ οὐκ ἔφη οἷός τ' εἶναι ἄλλως αὐτὰ ποιέειν, quae verba ita intellegenda sunt, ut primariam structuram hanc fuisse censeamus: ὁ δὲ οὐκ ἔφη τοιοῦτος εἶναι οἷός τε ἄλλως αὐτὰ ποιέοι i. e. ille autem negavit se talem esse qualiscunque haec aliter faceret. Quae enuntiationes tam arte inter se cohaerent, ut tamquam in unam abierint, cum pronomen οἷός τε a verbo ἔφη attractum sit.

Deinde afferre liceat l. IV C. 137 inde a verbis: Ἱστιαίου δὲ τοῦ Μιλησίου — τῆς Δαρείου δὲ δυνάμιος καταιρεθείσης οὔτε αὐτὸς Μιλησίων οἷός τε ἔσεσθαι ἄρχειν — οὔτε ἄλλον οὐδένα οὐδαμῶν, ubi tota structura haec foret: οὔτε αὐτὸς τοιοῦτος ἔσεσθαι οἷός τε Μιλησίων ἄρχοι — i. e. neque se ipsum talem futurum esse qualiscunque — der da — Milesiis imperaret. Quare paullatim factum est, ut pronomen οἷός τε cum verbo εἶναι in unam quodammodo notionem coalesceret et significationem verbi: posse indueret.

Alia eiusmodi exempla inveniuntur in l. VII C. 104: ἐγὼ δὲ οὔτε δέκα ἀνδράσι ὑπίσχομαι οἷός τε εἶναι μάχεσθαι οὔτε δυοῖσι i. e. ἐγὼ δὲ οὔτε τοιοῦτος εἶναι ὑπίσχομαι οἷός τε μάχοιτο;

---

1) G. Curtius: Grundzüge der griech. Etymol. p. 128 (edit. II.).

2) Schoemann: Redetheile p. 187.

l. VII C. 168: ὑπὸ δὲ ἐτησιέων ἀνέμων ὑπερβαλεῖν Μαλέην οὐκ οἷοί τε γενέσθαι.

l. I. C. 29. αὐτοὶ γὰρ οὐκ οἷοί τε ἦσαν αὐτὸ ποιῆσαι Ἀθηναῖοι.

l. I. C. 67: ὡς δὲ ἀνευρεῖν οὐκ οἷοί τε ἐγίνοντο τὴν θήκην τοῦ Ὀρέστεω, ἔπεμπον sqq.

l. III. C. 57: εἰ αὐτοῖσι τὰ παρεόντα ἀγαθὰ οἷά τε ἐστὶ πολλὸν χρόνον παραμένειν.

l. III. C. 58: τοῦτον τὸν χρησμὸν οὐκ οἷοί τε ἦσαν γνῶναι.

l. IV. C. 81: . . . οὐκ οἷός τε ἐγενόμην ἀτρεκέως πυθέσθαι.

l. VI. C. 109: θεῶν τὰ ἴσα νεμόντων οἷοί τε εἰμὲν περιγενέσθαι τῇ συμβολῇ.

l. VIII. C. 140 β: ἐνορέω γὰρ ὑμῖν οὐκ οἵοισί τε ἐσομένοισι.

Iam inquirendum est in attractionem apud pronomen ὅσος admissam, cuius usus permultis comprobari potest exemplis. [1]) Primus quidem locus, quem in medium proferam, nonnullas praebet difficultates, quod ad grammaticam quidem structuram attinet. Est autem l. I. C. 14: Γύγης δὲ τυραννεύσας ἀπέπεμψε ἀναθήματα ἐς Δελφοὺς οὐκ ὀλίγα, ἀλλ' ὅσα μὲν ἀργύρου ἀναθήματα ἔστι οἱ πλεῖστα ἐν Δελφοῖσι, ubi proprie duo fuisse orationis membra Matthiaeus [2]) recte adnotat: ὅσα μὲν ἀργύρου ἀναθήματά ἐστι, τούτων ἐστὶ οἱ πλεῖστα ἐν Δελφοῖσι. Attamen quamquam concedo duo enuntiata in unum coaluisse, adduci non possum, ut cum Baehrio [3]) post adiectivum: ὀλίγα puncti signum ponendum et sequentia hoc modo explicanda esse putem: ἀλλ' ὅσα μὲν ἀργύρου ἀναθήματά ἐστι (τούτων) ταῦτα οἱ πλεῖστά ἐστι ἐν Δελφοῖσι. Mea quidem sententia enuntiatio: ἀλλ' ὅσα μὲν sqq. ad verbum: ἀπέπεμψε referenda esse et ex hac structura originem duxisse videtur: ἀλλὰ τοσαῦτα μὲν ἀργύρου ἀναθήματα scil. ἀπέπεμψε, ὅσα οἱ πλεῖστά ἐστι ἐν Δελφοῖσι. i. e. „sed tot argentea quidem donaria (misit), quae plurima ei Delphis extant."

Multo simplicior est alius locus l. I. C. 157: Μαζάρης δὲ ὁ Μῆδος ἐλάσας ἐπὶ τὰς Σάρδις τοῦ Κύρου στρατοῦ μοῖραν ὅσην δή κοτε ἔχων, quem Matthiaeus [4]) non inepte ita vertit: eine Ab-

[1]) R. Foerster: de attractione enuntiation. relativar. p. 35.

[2]) Matthiae: Ausführliche griech. Grammatik: § 445.

[3]) Baehr. in adnott. ad h. l.

[4]) Matthiae: Ausführliche griech. Grammatik § 486. Anm. 1.

theilung, wie gross sie auch sein mochte. Baehrius[1]) recte monet pronomen ὅσος δή usurpari de magnitudine, quae quanta sit definiri non possit. Propria autem huius enuntiati structura haec fuit: τοῦ Κύρου στρατοῦ μοῖραν τοσαύτην ἔχων ὅση δή ἐστι, quamobrem pronomen ὅσην δή a substantivo μοῖραν attractum quodammodo adiectivam et formam et significationem induisse videtur.

In l. I. C. 160 legimus: οἱ δὲ Μυτιληναῖοι ἐπιπέμποντος τοῦ Μαζάρεος ἀγγελίας ἐκδιδόναι τόν Πακτύην παρεσκευάζοντο ἐπὶ μισθῷ ὅσῳ δή, quem locum Matthiaeus l. l. ita interpretatur: um einen Lohn, wie gross oder gering er auch sein mochte. Quod ad particulam δή attinet[2]), hic illud tantum dixerim, in vocula δή semper fere cum coniunctionibus vel pronominibus coniuncta — generalem inesse vim.

Kruegerus [3]) de particula δή haec adnotat: einige Relativs werden durch die hinzutretenden Partikeln δή und οὖν in ihrem Begriffe modificirt und erhalten eine Art adjectivischer Bedeutung, id quod iam supra exposui. Propria autem huius loci forma haec fuit: παρεσκευάζοντο ἐπὶ τοσούτῳ μισθῷ ὅσος δή ἐστιν.

Iam sequitur, ut in eiusmodi exemplis tractandis paucis commemorem l. I C. 185: χῶμα δὲ παρέχωσε παρ' ἑκάτερον τοῦ ποταμοῦ τὸ χεῖλος ἄξιον θώυματος μέγαθος καὶ ὕψος ὅσον τι ἐστί, quem locum Baehrius[4]), quippe qui Schweighaeuseri sententiam: ὅσον pro ὅτι τοσοῦτον dictum esse recte refutaverit, ita interpretatur: tantae est illud opus magnitudinis et altitudinis, quantae vix quidquam aliud invenitur. Quo melius autem diiudicari possit, utra significatio pronominis ὅσον hic praestet, pronominis relativi οἷος ratio habenda est. Omnibus enim locis, ubi οἷος idem significat atque: ὅτι τοιοῦτος — cf. l. I C. 31, C. 12, V 92 ζ — ante substantivum ad quod pertinet, positum est; item pronomen ὅσος in l. V C. 22 pro: ὅτι τοσοῦτος usurpatum. Huc accedit, quod verba: μέγαθος καὶ ὕψος ὅσον τι ἐστί tantummodo ex hac structura orta esse possunt: μέγαθος καὶ ὕψος τοσοῦτον ὅσον τι ἐστί — tantae magnitudinis et altitudinis, quantulaecunque est — ita quidem, ut pro-

1) Baehr. in adnott. ad h. l.

2) Schoemann: Redetheile p. 201.

3) C. W. Krueger: Griech. Sprachlehre § 51.15.

4) Baehr: in adnott. a. h. l.

nomen relativum ὅσον — omisso pronomine: τοσοῦτον — ab accusativis μέγαθος et ὕψος attrahatur.

In l. I C. 199 legimus: τὸ δὲ ἀργύριον μέγαθός ἐστι ὁσονῶν, quae verba Baehrius[1]) ita vertit: pecunia quantulacunque fuerit; et recte quidem. Substantivum enim μέγαθος et pronomen: ὅσον unam quodammodo notionem efficiunt, cum pronomen ὅσον per attractionem accusativum vocabuli μέγαθος induerit.

Deinde pro accusativo habemus pronomen ὅσον in l. II C. 22: εἰ τοίνυν ἐχιόνιζε καὶ ὁσονῶν ταύτην τὴν χώρην[2]) pro: τοσοῦτον ἐχιόνιζε ὁσονῶν ἐστί, ubi pronomen ὅσον ad verbum ἐχιόνιζε referendum est.

Ad eundem attractionis usum revocandi sunt hi loci: l. II C. 103: ὁ βασιλεὺς Σέσωστρις ἀποδασάμενος τῆς ἑωυτοῦ στρατιῆς μόριον ὅσον δὴ αὐτοῦ κατέλιπε, ubi Baehrius[3]) accusativum: ὅσον (δή) — pro: στρατιῆς τοσοῦτον μόριον ὅσον δή ἐστι — a substantivo: μόριον attractum latine expressit per: „qualemcunque" (seiunxerat reliquo exercitu partem qualemcunque).

l. II C. 126 πρήσσεσθαι ἀργύριον ὁκόσον δή τι i. e. ἀργύριον τοσοῦτον ὁκόσον δή τί ἐστι — latine: pecuniae summam quantulamcunque, quo loco: ὁκόσον accusativus est.

l. III C. 52 τέλος δὲ ὁ Περίανδρος κήρυγμα ἐποιήσατο — ἱρὴν ζημίην τοῦτον τῷ Ἀπόλλωνι ὀφείλειν ὅσην δὴ εἴπας, ubi me quidem iudice Steinius item ac Baehrius[4]) pronomen ὅσην commate post: ὀφείλειν posito ab antecedentibus non bene seiunxit, cum pronomen: ὅσην a substantivo: ζημίην attrahatur.

l. III C. 159 ἐπέταξε — γυναῖκας ἐς Βαβυλῶνα κατιστάναι, ὅσας δὴ ἑκάστοισι ἐπιτάσσων i. e. τοσαύτας — ἐπιτάσσων ὅσαι δή εἰσι.

l. IV C. 151 σιτία καταλιπόντες ὅσων δὴ μηνῶν i. e. τοσούτων μηνῶν, ὅσοι δή εἰσι.

l. V C. 4: ὅσα μιν δεῖ — ἀναπλῆσαι κακά, quae verba causam afferunt, cur Trausi hominem recens natum lugeant. Itaque pro-

---

[1]) Baehr: in adnott. ad h. l.

[2]) Baehr: in adnott. ad h. l.

[3]) Baehr: in adnott. ad h. l.

[4]) Baehr. in adnott. ad h. l.

nomen: ὅσα pro: ὅτι τοσαῦτα dictum esse censeo, sicut paullo post: ὅσων κακῶν ἐξαπαλλαχθεὶς pro: ὅτι τοσούτων κακῶν sqq.

l. V C. 20 καὶ εἰ πάσῃσι βούλεσθε μίσγεσθαι καὶ ὁκόσῃσι ὧν αὐτέων pro: καὶ ταύταις ὁκόσας ὧν βούλεσθε.

Eadem ratione pronomen ὅςτις vel ὅςτις δή attractioni obnoxium est, id quod apparet ex his locis: l. I C. 86: ἐν νόῳ ἔχων εἴτε δὴ ἀκροθίνια ταύτα καταγιεῖν θεῶν ὅτεῳ δή i. e. τούτῳ θεῶν ὅςτις δή ἐστι; l. II C. 113 ἐς τὸ ἢν καταφυγὼν οἰκέτης ὅτεῳ ἀνθρώπων ἐπιβάληται στίγματα ἱρά i. e. καταφυγὼν οἰκέτης τούτῳ ἀνθρώπων ὅςτις ἐστί, ubi Bekkerus pro scriptura codicum: ὅτεῳ proposuit: ὀτεῦων, quam coniecturam H. Steinius, Dindorfius, Abichtius non recte in textum receperunt, cum dativus: ὅτεῳ, quem retinent Baehrius[1]) et C. W. Kruegerus[2]) optime referri possit ad participium: καταφυγών.

l. III C. 121 πέμψαι Ὀροίτεα ἐς Σάμον κήρυκα ὅτευ δὴ χρήματος δεησόμενον i. e. τούτου χρήματος δεησόμενον ὅτι δή ἐστι.

l. III C. 145: οὗτος ὅτι δὴ ἐξαμαρτών.

l. III C. 129: τὸν δὲ ὡς ἐξεῦρον ἐν τοῖσι Ὀροίτεω ἀνδραπόδοισι ὅκου δὴ ἀπημελημένον, ubi adverbium ὅκου dictum est pro: αὐτοῦ ὅκου δὴ ἦν.

Iam perventum est ad explicandam formulam: οὐδεὶς ὅςτις οὐ, quam grammatici[3]) vulgo attractioni inversae attribuunt, cum pronomen οὐδείς a pronomine relativo attractum esse arbitrentur. At vero eiusmodi structura in eo posita est, ut saepissime vocabulum οὐδείς — verbo εἶναι omisso[4]) — cum pronomine ὅςτις in unum notionem nostro quidem sermone significantem „jeder" — coalescat, qua de causa enuntiatio relativa a pronomine: ὅςτις incipiens per se constare non potest. — Iam quaestio instituenda est de loco satis difficili l. VII. C. 145: quem viri docti multimodis explicare studuerunt: τὰ δὲ Γέλωνος πρήγματα μεγάλα ἐλέγετο εἶναι, οὐδαμῶν Ἑλληνικῶν τῶν οὐ πολλὸν μέζω. Ac primum quidem agitur de pronomine: τῶν i. e. ὧν in codicibus tradito,

---

1) Baehr: in adnott. ad h. l.

2) C. W. Krueger: in adnott. ad h. l.

3) Rich. Foerster: de attractione enuntiationum relativarum p. 37.

4) G. Hermann: adnott. ad Viger. p. 709 dicit: origo formulae sane fuit: οὐδείς ἐστιν, ὅς οὐ.

quod C. W. Kruegerus[1]) in: ὅτεων emendandum esse putavit, cum et duobus aliis locis: ὅςτις cum pronomine οὐδείς coniunctum sit: in l. III. C. 72 οὐδεὶς ὅςτις οὐ παρήσει, et l. V C. 97 καὶ οὐδὲν ὅτι οὐκ ὑπίσχετο. Hanc vero coniecturam a Rich. Foerstero probatam necessariam esse nego, cum nihil omnino obstet, quominus Herodotus, quippe qui nequaquam in eadem et certa quadam scribendi norma versetur, etiam hoc loco pronomen ὅς pro: ὅςτις scripsisse censendus sit. Foerstero quidem quamvis illud largiar: οὐδαμῶν Ἑλληνικῶν pendere e comparativo: πολλὸν μέζω, tamen adduci non possum, ut cum eodem viro docto particulam negativam οὐ ad vocem: πολλόν referendam esse et verbum substantivum in enuntiatione relativa post τῶν excidisse putem, quoniam in formula: οὐδεὶς ὅςτις οὐ — particula: οὐ nulla alia intermissa voce[2]) subsequitur pronomen ὅςτις. Mea quidem sententia Baehrius recte monuit: cum G. Hermanno[3]) neque: καί ante οὐδαμῶν addendum neque: μεγάλα delendum esse, quare totus hic locus facillime intellegitur, si verba οὐδαμῶν τῶν οὐ, quae unam notionem efficiunt, e comparativo πολλόν μέζω suspensa fiunt.

Miror vero, quod Abichtius[4]), quippe qui plerumque in diiudicandis eiusmodi quaestionibus satis diligenter elaboraverit, hoc loco: οὐδαμῶν casum pronominis relativi: τῶν induisse contendit, cum vel ipse paullo ante dixerit: οὐδαμῶν sqq. pendere e comparativo: μέζω. Revera enim pronomen relativum τῶν ad genetivum: οὐδαμῶν accommodatum est.

Neque cum nostro loco[5]) concinunt verba l. V. C. 87 ἄλλῳ μὲν δὴ οὐκ ἔχειν ὅτεῳ ζημιώσωσι τὰς γυναῖκας, cum hoc loco vocabulum ἄλλῳ per attractionem inversam casum pronominis relativi: ὅτεῳ induerit et particula negativa: οὐκ, quae in eiusmodi formulis semper ponitur post: ὅςτις, ad verbum ἔχειν referenda sit. Sed ea de re hactenus.

---

1) C. W. Krueger: in adnott. ad h. l.

2) A. Proske: Programm des Progymnasiums zu Gross-Strehlitz O/S. 1869: p. 11.

3) G. Hermann: adnott. ad Viger. p. 709.

4) Abicht: in adnott. ad h. l.

5) Abicht: in adnott. ad. h. l.

§ 5.

De attractione in enuntiatis relativis omissa.

De enuntiationibus relativis attractis sat multa verba fecisse mihi videor, quare iam inquirendum est in singulos locos, ubi Herodotus attractionem omisit. Primus autem locus, qui huc revocandus est, legitur in l. I. C. 127. ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Ἀστυάγης Μήδους τε ὥπλισε πάντας — λήθην ποιεύμενος τά μιν ἐόργεε, ubi nos quidem attractionis leges antea statutas laedi arbitramur, cum proprie pro: τά exspectemus genetivum τῶν ab omisso pronomine τούτων attractum. Attamen facere non possum, quin hanc fuisse causam existimem attractionis omissae: quod enuntiatio relativa[1]) cum vi et gravitate exprimi debet. — Profecto satis mirum est, quod Astyages Harpagum tam subito ducem elegit, quippe cuius filium paullo ante ira inflammatus interfecerit. Neque illud argumentum magni momenti esse potest, accusativum τά propterea positum esse, quia verbum ἐόργεε cum duplici accusativo coniungatur. Nam etiam in l. IX. C. 58: ἐς ὃ δώσουσι ἡμῖν τῶν δὴ ἐποίησαν Πέρσας πάντων δίκας genetivus: τῶν pro accusativo: τά ponitur, quamvis verbum ποιεῖν et ipsum duplicem accusativum regere soleat.

Simili modo attractio omissa est his locis: in l. I. C. 186: τοῦτο δὲ κατὰ μέσην κου μάλιστα τὴν πόλιν τοῖσι λίθοισι τοὺς ὠρύξατο — pro: τοῖς — οἰκοδόμεε τὴν γέφυραν. l. II. C. 108: νοστήσας δὲ ὁ Σέσωστρις — τῷ μὲν ὁμίλῳ τὸν ἐπηγάγετο τῶν τὰς χώρας κατεστρέψατο, τούτῳ μὲν τάδε ἐχρήσατο, pro: τῷ ἐπηγάγετο —.

l. II. C. 161: ἐγίνετο ἀπὸ προφάσιος τὴν ἐγὼ μεζόνως μὲν — ἀπηγήσομαι — pro: τῆς ἐγὼ μὲν sqq. —.

l. IV. C. 155: ἀπὸ τῆς τιμῆς τὴν ἔσχε pro: τῆς ἔσχε.

Omnibus igitur his locis Herodotus id intendisse videtur, ut nulla attractionis ratione habita enuntiationes relativas, quippe quae res admodum memorabiles amplectantur, a verbis antecedentibus magis distingueret, quamquam ultimo quidem loco nihil impedimento fuit, quominus pro: τὴν ἔσχε — per attractionem scriberet: τῆς ἔσχε,

Aliter explicandi sunt hi loci: l. II C. 171: καὶ τῆς — τελετῆς πέρι, τὴν οἱ Ἕλληνες θεσμοφόρια καλέουσι·

1) A. Proske: Programm des Progymnas. zu Gross-Strehlitz p. 12.

l. III C. 131: ἀσκευής περ ἐὼν καὶ ἔχων οὐδὲν τῶν ὅσα περὶ τὴν τέχνην ἐστὶ ἐργαλήια.

l. III C. 133: δεήσεσθαι δὲ οὐδενὸς τῶν ὅσα ἐς αἰσχύνην ἐστὶ φέροντα.

l. V C. 88: ἐπεὶ ἥ γε Ἑλληνικὴ ἐσθὴς πᾶσα ἡ ἀρχαίη τῶν γυναικῶν ἡ αὐτὴ ἦν τὴν νῦν Δωρίδα καλέομεν. Mea quidem sententia l. l. Herodotus attractionem non admisisse videtur, quoniam et verbum: καλέομεν, καλέουσι, et verbum ἐστί non solum ad pronomen relativum pertinet, sed aliis vocabulis — θεσμοφόρια, ἐργαλήια, φέροντα, Δωρίδα — determinatur, quippe quae genetivum vel dativum pronominis relativi attracti induere non possint. Huc vero accedit, quod enuntiationes relativae: τὴν — θεσμοφόρια καλέουσι, ὅσα — ἐστὶ ἐργαλήια, ὅσα — ἐστὶ φέροντα, et ipsae legentis animum magnopere in se convertunt, quamobrem cum enuntiato primario per attractionem coniunctae non sunt.

CAPUT II.

DE ATTRACTIONE IN INFINITIVIS ET PARTICIPIIS ADHIBITA.

§ 6.

De attractionis usu apud infinitivum.

Eiusmodi attractio in eo posita est [1 2 3]), ut subiectum verbi finiti, si idem est atque infinitivi, plane omittatur in enuntiatione secundaria.

Deinde vero determinationes infinitivo additae, quibus idem subiectum utriusque enuntiati accuratius describatur, a verbo finito attrahuntur, itaque nominativum pro accusativo induunt.

Subiectum quidem enuntiationis secundariae deest his locis, ubi proprie structuram accusativi cum infinitivo exspectamus, in l. I C. 54: πάγχυ τε ἐλπίσας καταλύσειν, pro: ἑωυτὸν καταλύσειν.

l. I C. 82: αὐτοὶ ἑκάτεροι ἔφασαν νικᾶν.

l. I C. 97: οὔτ' ἔφη δικᾶν ἔτι.

l. I C. 119: ὁ δὲ καὶ γινώσκειν ἔφη.

l. I C. 156: ἔφη οἱ πείθεσθαι.

l. II C. 28: οὐδεὶς ὑπέσχετο εἰδέναι et: φάμενος εἰδέναι ἀτρεκέως.

l. II C. 118: φάμενοι εἰδέναι.

l. II C. 162: ὁ δὲ ἐπείτε ἀπικόμενος κατελάμβανε τοὺς Αἰγυπτίους, ταῦτα μὴ ποιέειν λέγοντος αὐτοῦ τῶν τις Αἰγυπτίων ὄπισθε στὰς περιέθηκέ οἱ κυνέην, καὶ περιτιθεὶς ἔφη ἐπὶ βασιληΐῃ

---

1) Kuehner: Ausführliche Grammatik § 475. 5.

2) Buttmann: Griech. Grammatik § 129.

3) Matthiae: Ausführl. griech. Grammatik § 536 a.

περιτιθέναι, quo loco duae extant structurae, cum genetivus absolutus — λέγοντος αὐτοῦ — e quo pendet infinitivus: ποιέειν, et dativus: οἱ usurpentur pro simplici verborum iunctura: λέγοντι αὐτῷ — περιέθηκε —, quo magis nimirum participium[1]: λέγοντος, quippe quod ad totum enuntiatum pertineat, legentis oculis obversetur.

Deinde huc revocandi sunt hi loci: l. II C. 181: ἄγαλμα οἱ ἀποπέμψειν· l. III C. 19: οὐκ ἔφασαν ποιήσειν.

l. III C. 22: ἔφη οὐδὲν θωυμάζειν·

l. III C. 53: ἔφη οὐδαμὰ ἥξειν·

l. III C. 55: τιμᾶν δὲ Σαμίους ἔφη·

l. III C. 68: φαμένη οὐ γινώσκειν·

l. III C. 69: φαμένη κινδυνεύσειν μεγάλως·

l. III C. 74: ὑπισχνεύμενοι τὰ πάντα οἱ μυρία δώσειν, et: ὑποσχνομένου δὲ — ποιήσειν ταῦτα·

l. III C. 122: ἐπίδας πολλὰς ἔχων — ἄρξειν·

l. III C. 133: ὁ δὲ φὰς ὑγιέα ποιήσειν·

l. III C. 134: πάντα — ποιήσειν εἴρηκας.

Iam sequuntur exempla, quae structuram nominativi cum infinitivo exhibent: l. I C. 56: ἐλπίζων — οὐδ' ὦν αὐτὸς οὐδὲ οἱ ἐξ αὐτοῦ παύσεσθαί κοτε τῆς ἀρχῆς· hoc loco non solum pronomen: αὐτός, quod a participio: ἐλπίζων attrahitur, sed etiam locutio: οἱ ἐξ αὐτοῦ nominativum induit, cum proprie scribendum sit: τοὺς ἐξ αὐτοῦ· l. I C. 112: ὁ δὲ οὐκ ἔφη οἷός τ' εἶναι ἄλλως αὐτὰ ποιέειν, ubi cavendum est, ne cum Matthiaeo[2] eiusmodi nominativos velut: οἷός τε pro subiecto enuntiationis secundariae habeamus, cum revera sint determinationes tantum praedicativae, id quod luculenter apparet e locis paullo ante allatis, ubi et subiectum et praedicativa determinatio omnino defuit.

Deinde commemorandi sunt hi loci: l. I C. 113: ἀποδεικνύναι ἔφη ἕτοιμος εἶναι·

l. II C. 54: ἔφασαν — ἀνευρεῖν μὲν σφέας οὐ δυνατοὶ γενέσθαι·

l. II C. 160: ἔφασαν ἥκειν ἐπιμαθησόμενοι·

l. II C 172: ἤδη ὦν ἔφη λέγων, ὁμοίως αὐτὸς τῷ ποδανιπτῆρι πεπρηγέναι·

---

1) Abicht: in adnott. ad h. l.

2) Matthiae: Ausführl. griech. Grammatik § 536.

l. III C. 2: προςποιεύμενοι — συγγενέες εἶναι·
l. III C. 63: φῇς γὰρ ἥκειν — ἄγγελος·
l. III C. 140: ἔφη Δαρείου εὐεργέτης εἶναι·
l. III C. 144: ὑπόσπονδοί τε ἔφασαν εἶναι ἕτοιμοι·
l. IV C. 126: εἰ δὲ συγγινώσκεαι εἶναι ἥσσων·
l. IV C. 137: λέγοντος — οὔτε αὐτὸς Μιλησίων οἷόςτε ἔσεσθαι ἄρχειν οὔτε ἄλλον οὐδένα οὐδαμῶν· hoc quidem loco inter se contrarii sunt nominativus αὐτός et accusativus: ἄλλον οὐδένα·
l. IV C. 145: οἱ δὲ ἔφασαν ὑπὸ Πελασγῶν ἐκβληθέντες ἥκειν·
l. V C. 42: εὔτε ἐπίστατο — αὐτὸς σχήσων τὴν βασιληίην·
l. V C. 92 η: οὔτε σημανέειν ἔφη ἡ Μέλισσα ἐπιφανεῖσα οὔτε καρτερέειν — ῥιγοῦν τε γὰρ καὶ εἶναι γυμνή·
l. VI C 92: Σικυώνιοι μὲν νῦν συγγνόντες ἀδικῆσαι ὡμολόγησαν ἑκατὸν τάλαντα ἐκτίσαντες ἀζήμιοι εἶναι·
l. IV C. 107: συνεβάλετο ὤν — κατελθὼν καὶ ἀνασωσάμενος — τελευτήσειν·
l. VII C. 103: σὺ φῄς — βασιλεὺς αὐτὸς γενέσθαι·
l. VII C. 104: ὑπίσχομαι οἷός τε εἶναι·
l. VII C. 136: οὐκ ἔφη ὅμοιος ἔσεσθαι·
l. VII C. 168: ἔφασαν πληρῶσαι — ὑπὸ δὲ ἐτησιέων ἀνέμων — οὐκ οἷοί τε γενέσθαι·
l. VII. C. 206: ὡς δὲ καὶ οἱ λοιποὶ τῶν συμμάχων ἐνένωντο καὶ αὐτοὶ ἕτερα τοιαῦτα ποιήσειν·
l. VII. C. 222: οἳ οὐκ ἔφασαν ἀπολιπόντες — ἀπαλλάξεσθαι·
l. VIII. C. 29: γνωσιμαχέετε μὴ εἶναι ὅμοιοι ἡμῖν·
l. VIII. C. 116: ὅς οὔτε αὐτός ἔφη τῷ Ξέρξῃ ἑκὼν εἶναι δουλεύσειν·
l. VIII. C. 137: οἱ δὲ τὸν μισθὸν ἔφασαν δίκαιοι εἶναι ἀπολαβόντες οὕτω ἐξιέναι·
l. IX. C. 7: οὐ μὲν οὐδὲ ὁμολογήσομεν ἑκόντες εἶναι·
l. IX. C. 16: ἔφη δὲ ὁ Θέρσανδρος κληθῆναι καὶ αὐτός.

Praeterea illud quoque monendum est, structuram accusativi cum infinitivo saepius admissam esse, ubi proprie secundum attractionis leges postuletur nominativus vel genetivus vel dativus, velut in l. I. C. 34: ὅτι ἐνόμισε ἑωυτὸν εἶναι ἀνθρώπων ἁπάντων ὀλβιώτατον[1]), ubi pro: αὐτός subiectum ἑωυτόν, quod iam continetur

[1]) Matthiae: Ausführl. griech. Grammatik, § 536 c.

verbo: ἐνόμισε, positum est, cum Croesus illud praecipue disertis verbis exprimere velit: sese solum omnium hominum esse felicissimum neque alium quemquam.

Eadem de causa accusativus subiecti: ἑωυτούς adhibetur pro nominativo: αὐτοί in l. I. C. 134: νομίζοντες ἑωυτοὺς εἶναι ἀνθρώπων μακρῷ τὰ πάντα ἀρίστους·

l. I. C. 171: ἀλλὰ νομίζουσι αὐτοὶ ἑωυτοὺς εἶναι αὐτόχθονας·

l. II. C. 2: ἐνόμιζον ἑωυτοὺς πρώτους γενέσθαι πάντων ἀνθρώπων·

l. IV. C. 9: τὴν δὲ φάναι ἑωυτὴν ἔχειν καὶ οὐκ ἀποδώσειν·

l. IV. C. 78: οἱ δὲ Βορυσθενεῖται οὗτοι λέγουσι σφέας αὐτοὺς εἶναι Μιλησίους·

l. IV. C. 94: οὔτε ἀποθνήσκειν ἑωυτοὺς νομίζουσι.

Ex his igitur exemplis elucet, structuram accusativi cum infinitivo pro nominativo cum infinitivo semper fere usurpatam esse, si inter subiectum enuntiati secundarii et aliam rem vel personam certum quoddam discrimen intercedat.

Deinde accusativus pro dativo adhibetur his locis: in l. I. C. 3: οὕτω δὴ — τοῖσι Ἕλλησι δόξαι πρῶτον πέμψαντας ἀγγέλους ἀπαιτέειν pro: πέμψασι·

l. I. C. 19: εἴ τε καὶ αὐτῷ ἔδοξε πέμψαντα τὸν θεὸν ἐπείρεσθαι περὶ τῆς νούσου, quo loco Baehrius[1]) coniecturam: πέμψαντι pro accusativo: πέμψαντα male prolatam recte refutavit, cum codicum lectio: πέμψαντα aliis eiusmodi exemplis dilucide comprobetur: l. I. C. 37: ὦ πάτερ, τὰ κάλλιστα πρότερόν κοτε καὶ γενναιότατα ἡμῖν ἦν ἔς τε πολέμους καὶ ἐς ἄγρας φοιτέοντας pro: φοιτέουσι — εὐδοκιμέειν·

l. V. C. 109: εἰ μὲν γὰρ πεζῇ βούλεσθε ταχθέντες Περσέων διαπειρᾶσθαι, ὥρη ἂν εἴη ὑμῖν ἐκβάντας — pro: ἐκβᾶσι — ἐκ τῶν νεῶν τάσσεσθαι πεζῇ·

l. VI. C. 109: ἐν σοὶ νῦν Καλλίμαχε ἐστὶ ἢ καταδουλῶσαι Ἀθήνας ἢ ἐλευθέρας ποιήσαντα — pro: ποιήσαντι — μνημόσυνον λιπέσθαι.

Equidem cur his locis Herodotus accusativo pro dativo usus sit iustam causam invenire non possum, praesertim cum etiam dativus sine dubio poni possit.

---

1) Baehr: in adnott. ad h. l.

Rationem insuper habeamus oportet locorum, ubi subiectum quidem infinitivi non idem est atque enuntiationis primariae, sed vocabulo aliquo enuntiati primarii continetur. Qua de causa determinatio praedicativa infinitivo addita casum illius vocabuli induit, ad quod referenda est. Itaque genetivus apud infinitivum usurpatur in l. V. C. 80: δοκέω ἡμῖν Αἰγινητέων δέεσθαι τὸν θεὸν χρῆσαι τιμωρητήρων γενέσθαι, ubi appositio infinitivi: τιμωρητήρων accommodata est ad genetivum: Αἰγινητέων, in quo subiectum ad: τιμωρητήρων γενέσθαι subaudiendum inest. Nihilominus tamen Herodotus accusativum posuit, ubi proprie genetivum exspectamus, in l. VI. C. 100:

Ἀθηναίων ἐδεήθησαν σφίσι βοηθοὺς γενέσθαι· hoc loco substantivum: βοηθούς, quod ad vocem: Ἀθηναίων pertinet, genetivum proprie induere debet.

Dativus invenitur in l. I. C. 90: καὶ εἰ ἀχαρίστοισι νόμος εἶναι τοῖσι Ἑλληνικοῖσι θεοῖσι, ubi haec structura statuenda esse videtur[1]): καὶ εἰ ἀχαρίστοισι εἶναι νόμος εἴη τοῖσι Ἑλληνικοῖσι θεοῖσι·

l. VI C. 11: ἐπὶ ξυροῦ γὰρ ἀκμῆς ἔχεται ἡμῖν τὰ πρήγματα, ἄνδρες Ἴωνες, ἢ εἶναι ἐλευθέροισι ἢ δούλοισι, καὶ τούτοισι ὡς δρηπέτῃσι·

l. VIII C. 140 β: ἐνορέω γὰρ ὑμῖν οὐκ οἵοισί τε ἐσομένοισι τὸν πάντα χρόνον πολεμέειν Ξέρξῃ.

Eiusmodi autem loci propterea attractioni attribuuntur, quoniam determinationes infinitivi a vocabulo aliquo enuntiati primarii attrahuntur et utraque enuntiatio tamquam in unam coalescit.

§ 7.

De attractione apud participium.

Agendum nunc mihi est de locis, ubi subiectum infinitivi continetur participio enuntiati primarii, a quo appositio infinitivi attrahitur. Exempla haec sunt: l. I C. 36: διακελεύσομαι τοῖσι ἰοῦσι εἶναι ὡς προθυμοτάτοισι ὡς συνεξελεῖν, ubi adiectivum προθυμοτάτοισι a participio: ἰοῦσι attractum est·

l. III C. 142: τῷ δικαιοτάτῳ ἀνδρῶν βουλομένῳ γενέσθαι οὐκ ἐξεγένετο·

[1]) Baehr.: in adnott. ad h. l.

l. V C. 126: καὶ βουλομένων τῶν Θρηίκων ὑποσπόνδων ἐξιέναι·

. l. VII C. 155: οὐ βουλομένων τῶν πολιητέων κατηκόων ἔτι εἶναι.

Tribus his locis adiectiva: δικαιοτάτῳ, ὑποσπόνδων, κατηκόων a participiis: βουλομένῳ et βουλομένων attrahuntur, ita ut diversitas enuntiati primarii et secundarii, quod ad grammaticam quidem structuram attinet, tolli videatur.

At vero etiam apud Herodotum loci extant, ubi attributiva infinitivi determinatio ad casum participii non accommodata est velut in l. IV C. 137: Ἱστιαίου δὲ — λέγοντος — οὔτε αὐτὸς Μιλησίων οἷός τε ἔσεσθαι ἄρχειν — codicum lectio: ἔσεσθαι cum Reizio et Baehrio non est mutanda in ἔσται — pro: οὔτε αὐτοῦ Μιλησίων οἵου τε ἔσεσθαι sqq. Mea quidem sententia Herodotus structuram nominativi cum infinitivo attractioni a participio: λέγοντος profectae propterea praetulit, quod tot genetivos: αὐτοῦ, Μιλησίων, οἵου τε vitare nec non nominativis: αὐτός et οἷός τε atque accusativo: ἄλλον οὐδένα — ostendere voluit subiectorum diversitatem.

§ 8.

De eo genere attractionis, quod proprie vocatur: transpositio.

Haec attractionis species in eo posita est, ut nomen enuntiati primarii, e quo pendet enuntiatio secundaria, a pronomine relativo attrahatur. Et recte quidem Kuehnerus[1]) de hac transpositione ita disserit: durch diese Attraction werden zwar nicht, wie in der Casusflexion, beide Sätze in einen verschmolzen, aber doch so mit einander verschränkt, dass der eine den andern nothwendig bedingt. Exempla, quae iam afferam, haec sunt: l. I. C. 108: λάβε τὸν Μανδάνη ἔτεκε παῖδα, quae verba ex his enuntiatis: λάβε τὸν παῖδα, τὸν Μανδάνη ἔτεκε — orta sunt, ita ut substantivum: παῖδα articulo: τόν omisso in enuntiationem relativam transierit; quamobrem haec attractio dicenda est: transpositio. Deinde conferas

l. I. C. 118: Ἀστυάγης δὲ κρύπτων τὸν οἱ ἐνεῖχε χόλον·

---

[1]) Kuehner: Ausführl. Grammatik § 556.

l. I. C. 186: ἐκτρέψασα τοῦ ποταμοῦ τὸ ῥέεθρον πᾶν ἐςτὸ ὤρυσσε χωρίον·

l. II. C. 172: ἐκ τῆς δὲ ἦν πόλιος, οὔνομα οἵ ἐστι Σιούφ, pro: τῇ δὲ πόλει, ἐκ τῆς ἦν·

l. IV. C. 43: οὐδ' ἐπετέλεσε τὸν ἐπέταξε οἱ ἡ μήτηρ ἄεθλον·

l. V. C. 37: τοὺς δ' ἔλαβε τυράννους τούτους δέ sqq.;

l. V. C. 39: σὺ νῦν τὴν μὲν ἔχεις γυναῖκα ἔξεο, et: τὴν ἔχει γυναῖκα — ταύτην·

l. V. C. 62: ἀναλαβεῖν τὸν κατ' ἀρχὰς ἤια λέξων λόγον·

l. V C. 106: μὴ μὲν πρότερον ἐκδύσασθαι τὸν ἔχων κιθῶνα καταβήσομαι·

l. VII C. 52: τῶν ἀπεφήναο γνωμέων σφάλλεαι·

l. VII C. 154: τῶν δὲ εἶπον πολίων sqq.

Duobus his locis et attractio pronominis relativi et transpositio statuenda est, cum verba: τῶν ἀπεφήναο γνωμέων et: τῶν δὲ εἶπον πολίων ex hac structura orta sint: τῶν γνωμέων τὰς ἀπεφήναο, et: τῶν δὲ πολίων τὰς εἶπον.

Deinde ad idem attractionis genus referendi sunt loci, ubi subiectum[1]) enuntiationis secundariae obiecti loco in enuntiatum primarium recipitur, id quod maxime cadit in verba sentiendi et declarandi[2]), velut in l. I C. 163: ὁ δὲ πυθόμενος τὸν Μῆδον παρ' αὐτῶν ὡς αὔξοιτο, pro: ὁ δὲ πυθόμενος παρ' αὐτῶν ὡς ὁ Μῆδος αὔξοιτο·

l. I C. 192: τὴν δὲ δύναμιν τῶν Βαβυλωνίων — δηλώσω ὅση τις ἐστί·

l. III C. 40: τὸ θεῖον ἐπισταμένῳ ὡς ἔστι φθονερόν·

l. III C. 119: καὶ τὴν αἰτίην εἶπον δι' ἣν πεπονθότες εἴησαν·

l. III C. 68: οὗτος ὁ 'Οτάνης πρῶτος ὑπώπτευσε τὸν Μάγον ὡς οὐκ εἴη ὁ Κύρου Σμέρδις·

l. III C. 80: εἴδετε μὲν γὰρ τὴν Καμβύσεω ὕβριν ἐπ' ὅσον ἐπεξῆλθε·

l. III C. 130: εἰρώτα — τὴν τέχνην εἰ ἐπίσταιτο·

l. IV C. 201: μαθὼν τοὺς Βαρκαίους ὡς κατὰ μὲν τὸ ἰσχυρὸν οὐκ αἱρετοὶ εἶεν·

---

1) Kuehner: Ausführl. Grammatik § 600. 4.

2) G. T. A. Krueger: Die Attraction in der latein. Sprache § 66.

l. IV C. 100: μαθὼν δὲ τούτων ἑκάτερα ὡς εἶχε Αἰσχίνης·

l. VII C. 139: τὴν γὰρ ὠφελίην — οὐ δύναμαι πυθέσθαι ἥτις ἂν ἦν·

l. VII C. 163: καραδοκήσαντα τὴν μάχην τῇ πεσέεται·

l. VII C. 168: καραδοκέοντες καὶ οὗτοι τὸν πόλεμον τῇ πεσέεται·

l. VII C. 208: ἀκηκόεε δὲ ἔτι ἐὼν — καὶ τοὺς ἡγεμόνας ὡς εἴησαν Λακεδαιμόνιοι.

Denique illud tantum monuerim, eiusmodi attractionem plane suo loco[1]) esse in l. VI. C. 48: μετὰ δὲ τοῦτο ἀπεπειρᾶτο ὁ Δαρεῖος τῶν Ἑλλήνων ὅτι ἐν νόῳ ἔχοιεν — ubi subiectum enuntiationis secundariae: οἱ Ἕλληνες a verbo ἀπεπεῖρατο, quod genetivum regit, facile attrahi potuit. —

Ex omnibus autem locis modo allatis elucet, enuntiationem secundariam — propria vi abiecta — tamquam attributi loco nomini antecedenti adiectam esse, ita ut utrumque orationis membrum in unam enuntiationem coaluisse videatur.

§ 9.

De attractione inversa.

Haec attractio[2] [3]), cuius naturam et usum idem ille Buttmannus primus enucleavit, ita comparata est, ut nomen enuntiati primarii attrahatur a pronomine relativo vel a verbo regente enuntiati relativi. Talis autem attractio, quippe quae opposita sit primario illi attractionis generi, ubi pronomen relativum ab antecedenti nomine attrahitur, inversa dicitur. Quare afferendum est hoc exemplum: l. II C. 106: (Stein) αἱ δὲ στῆλαι τὰς ἵστα — αἱ μὲν πλεῦνες οὐκέτι φαίνονται περιεοῦσαι· alii viri docti — Baehrius, Kruegerus, Dindorfius, Abichtius — recte servant codicum scripturam: τὰς δὲ στήλας τὰς ἵστα sqq., ubi propria structura haec fuit: αἱ δὲ στῆλαι sive: τῶν δὲ στηλῶν τὰς ἵστα αἱ μὲν πλεῦνες. Substantivum: στῆλαι a pronomine: τὰς vel potius a verbo: ἵστα attrahitur et accusativum induit. Ut vero coniecturam a Steinio

---

[1]) G. T. A. Krueger: Die Attraction in der latein. Sprache, § 69.

[2]) C. W. Krueger: Griechische Sprache, § 51, 9.

[3]) G. T. A. Krueger: Die Attraction in der latein. Sprache, § 90 ff.

propositam: αἱ δὲ στῆλαι — amplectar adduci non possum, cum similis locus inveniatur in l. VII C. 130: τὸν γὰρ ποταμὸν πρῆγμα ἂν ἦν μοῦνον ἐπεῖναι — παρατρέψαντα δι' ὧν νῦν ῥέει ῥεέθρων, quae verba, ut iam Schweighaeuserus intellexit, ex hac structura originem duxerunt: παρατρέψαντα τὰ ῥέεθρα δι' ὧν νῦν ῥέει i. e. avertentem sive avertendo fluvios, per quos nunc fluit. Obiectum quidem (ῥέεθρα) enuntiati primarii genetivum pronominis ὧν induit et in enuntiationem relativam transiit.

§ 10.

Denique reliquum est, ut paucis usum praepositionis ἐν pro ἐκ, ἀπό et praepositionis εἰς (ἐς) pro: ἐν usurpatae commemorem, quem grammatici attractionem vocant, quamvis revera in primariam attractionis notionem non quadret. Talis praepositionum mutatio semper fere proficiscitur a verbo movendi aut expresso aut subaudiendo et propterea nominatur attractio, quod duae notiones inter se contrariae — quiescendi et movendi — in unam consociantur; qua de causa Kuehnerus[1]) hanc rem ita explicat: „So werden durch die Verbindung: οἱ ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἄνθρωποι oder blos: οἱ ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἀπέφυγον zwei Bilder in unserer Seele geweckt, indem wir erstens die Leute, die auf dem Markte verweilen (οἱ ἐν τῇ ἀγορᾷ) und dann die Flucht der Leute von dem Markte gleichsam sehen."

Eiusmodi exempla apud Herodotum leguntur in

l. III. C. 6: τοὺς δὲ ἐκ Μέμφιος ἐς ταῦτα δὴ τὰ ἄνυδρα τῆς Συρίης κομίζειν, ubi proprie scribendum erat: τοὺς δὲ ἐν Μέμφι scil. ἐόντας — ἐκ Μέμφιος sive ἐξ αὐτῆς — κομίζειν·

l. I C. 4: σφέας μὲν δὴ τοὺς ἐκ τῆς Ἀσίης λέγουσι Πέρσαι ἁρπαζομενέων τῶν γυναικῶν λόγον οὐδένα ποιήσασθαι.

Praepositio: ἐς pro: ἐν usurpatur in l. II C. 150: ἔλεγον δὲ οἱ ἐπιχώριοι καὶ ὡς ἐς τὴν Σύρτιν τὴν ἐς Λιβύην ἐκδιδοῖ ἡ λίμνη αὕτη ὑπὸ γῆν.

Mea quidem sententia Kruegerus et Dindorfius codicum lectionem: τὴν ἐν Λιβύῃ, quae[2]) sane correctoris manum redolet, male in textum receperunt, praesertim cum et aliis locis praepositio: ἐς pro:

---

[1]) Kuehner: Ausführl. Grammatik. II. p. 473 (edit II.)

[2]) Baehr.: in adnott. ad h. l.

ἐν: adhibita sit, velut in l. I C. 9: μετὰ δ' ἐμὲ ἐσελθόντα παρέσται καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἐμὴ ἐς κοῖτον·

l. IV C. 14: φανέντα αὐτὸν ἐς Προκόννησον ποιῆσαι·

l. IV C. 15: φανέντα σφι ἐς τὴν χώρην κελεῦσαι·

l. IV C. 97: ἐς οἶκον τὸν ἐμὸν ἐπιφάνηθι·

l. V C. 72: μετὰ δὲ οὐδὲν ἧσσον παρῆν ἐς τὰς Ἀθήνας ὁ Κλεομένης·

l. V C. 108: ἄνδρα Πέρσην προςδόκιμον ἐς τὴν Κύπρον εἶναι·

l. VI C. 1: Ἱστιαῖος δὲ — παρῆν ἐς Σάρδις·

l. VIII C. 60: οὔτε ὑμῖν ἐς τὸν Ἰσθμὸν παρέσονται οἱ βάρβαροι·

l. VIII C. 132: ὡς δὲ παρεγένοντο ἐς τὴν Αἴγιναν πᾶσαι αἱ νέες.

VITA.

Emanuel Oswaldus May natus sum die XVI. mensis Novembris a. h. s. LIV. in vico regionis Nissensis, cui nomen est Heidau, patre Emanuel, matre Rosalia, e gente Jander, quibus adhuc superstitibus valde gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementa postquam didici, inde ab anno h. s. LXIV. frequentavi gymnasium Nissense, quod etiamnunc auspiciis v. cl. Iulii Zastra floret. Testimonium maturitatis nactus Universitatem litterarum Viadrinam petii studiis philologicis operam daturus. Inter cives academicos receptus a v. cl. Prof. H. Schroetero, penes quem tunc fasces erant, per septem semestria scholis interfui philologicis, philosophis, historicis virorum doctissimorum: Hertz, Reifferscheid, Rossbach, Weinhold, Pfeiffer, Bobertag, Dilthey, Weber, Koerber, Oginski, Junkmann, Neumann. Per duo semestria interfui exercitationibus seminarii philologici extraordinarii, deinde per duo semestria sodalis eram seminarii philologici ordinarii. Omnibus autem viris doctissimis, qui rectam mihi litterarum tractandarum viam et rationem ostenderunt, summas nunc gratias ago semperque quam maxime possum agam.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1) In Aeschyli Choeph. v. 465 (ed. G. Herm) pro: ἔμμοτον scribendum esse puto: ἓν μόνον.
2) In Soph. Oed. tyr. v. 1463 (ed. Nauck) vocem: βορᾶς in: βάρος emendandam esse arbitror.
3) In Theocr. idyll. IX. v. 10 (ed. Ziegler) Meinekii coniectura: ἀπώσας pro: ἁπάσας in textum recipienda est.
4) Hesiodi theog. vv. 943—951 spurios esse cum Schoemanno nego.